



Sanctus Vuilibrodus, temporibus Caroli Marcelli, Anno Christi septingentesimo, magna eruditione & pietate præditus, in Frisia & finitimis regionibus Christum prædicauit. Huic autem Rapotus dux Frisiae fortiter resistebat. donec tandem Carolus Martellus Maior domus Franciæ & Brabantiae dux, Rapotum armis aggressum, eò redigebat, ut polliceretur sese fidem Christi amplexurum. Cum autem dies Baptismi adesset, atque Rapotus dux alterum pedem in aquam collocasset, interrogare cœpit, ubinam maior hominum numerus post mortem conuenissent, nū in cœlo aut in inferno? Huic cum S. Vuilibrodus respondisset, in inferno. dixisse fertur:

Ergo ego cum maiori parte hominum, adeoq; meis parentibus in inferno manebo, atque pede retracto, in suis erroribus perseuerare statuit. Verum Dei iustum iudicium cito apparuit, nam tertio die repentina morte interiit. Postea Vuilibrodus per totam eam regionem cum suis discipulis Christianam religionem instituit, atq; idolis amotis, uerum Dei cultum plantauit. Itaq; factum, ut ab ingratis eius regionis incolis, quibus suaue Christi iugum displiceret, interfectus fuerit. Sigebert. Stumpff. Tom. 1. lib. 3.